DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis secundâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. JACOBO VERDELHAN DES MOLES, Sereniſſimi Principis Condæi Conſiliario Medico, Doctore Medico, Præſide.

An hodierna methodus in diſponendis & exornandis variis ædificiorum partibus, ſanitati noceat?



BEATUS ille qui in loco placido, nec admodùm populoſo ſedem figit. Ibi ſatis eſt habitare domos, levibus fulcris maximâ ſui parte ſuſtentatas, quæ oppoſitis trabibus firmantur, nè corruant, quarum hiantes rimæ aut vitia, aliquo levi tectorio obducuntur tantùm, ut habitator, ſecuros ſoles condere, ſomnumque nullis abruptum curis, carpere poſſit. Domui hortulos adjungere datur, & puteos non altos, ex quibus ſine fune ipſâ manû aquam hauriat, quâ horti plantas amet irrigare. Quid jucundius illâ ruſticanâ vitâ, quæ ſarculo & raſtro gaudet! Gallorum cantu manè exſuſcitatus incola, primos ſolis naſcentis radios excipit. Benigno illius aſpectu cuncta foveri, naturæ novam, ut ità dicam, vim infundi, miratur. Oculi illius variis deliniuntur coloribus. Miro avium concentu demulcentur aures. Montes & colles perluſtrans, zephiri blandè ludentis aurâ recreatus, labentibus aquis ex rupibus, ſitim compeſcit & purâ ſe proluit limphâ. Tum diurnas emenſus horas domum relegit, lateri caſtæ mulieris aſſidens dulces amplectitur natos, veneris tuta noſcit præmia. Vino deprompto ex dolio, frugalique cibo, refocillatis viribus, feſſos diurno calore artus tradit quieti divitibus invidendæ.

Quantum ab illo mutati, infelices oppidani! Senſationum ſummâ varietate laceſſiti, impeditique ſæpiſſimè earum fluctuanti viciſſitudine, jamjàm à naturæ ſemitibus aberrantes, erroribuſque ſanitati maximè noxiis deluſi, luxurianti phantaſiæ obſequendo, voluptatum delicias, rationi, viribuſque impares, & haud benè conſonas, undique inveſtigant. Si quicumque terrarum muneribus viventes, æquam legem atque neceſſitatem ſubeant, diviti aut pauperi nulla lethi remaneat fuga; quid prodeſt magnatibus cum apparatu & magno comitatu incedere, equos fatigare atque vexare ſingulis diebus? Quid prodeſt domus

locuples, in quâ de magnî cœnâ supereſſe ſolent fercula exquiſitiſſima, ſi in quibuſlibet ædificiorum partibus malè diſpoſitis, aer inquinatus ab errore loci, pleno gutture combibatur, à quo ſcatet fons & origo tantorum quibus cruciantur malorum.

I I.

PRIMO aſpectu domûs, jucundè imaginatio movetur; ſed attentè perpendenti, quot redarguenda, in intimis præcipuè penetralibus? In conclavi plùs minùsvè anguſto, hypocauſtum ex Ære fabrefactum, aut ex faventinâ conſtructum, undiquè maximum caloris gradum ſpargit, cui fœtidus ſervorum halitus immiſcetur. Exhedra undique cingitur canaliculis vaporario affixis quibus calor devehitur. Prætereà hocce in loco, ſuper foco largâ manu ligna reponuntur ut frigus arceatur; quibus omnibus aer rarefactus atque extenuatus evadit, unde hujus aſpiratio fit minùs ſalubris. Januæ haud hâc in ædificii parte deficientes, flanti vento aditum irregularem parant, undè nova malorum caterva. Muſeum ſi adieris, anguſtius conſpicies; ignis in foco viget maximus, aer rarefit, minori donatur elaterio, collabaſcunt igitur functiones, gravatur caput, calore maximo velut appoplecticum; hinc herum non libris impalleſcentem ſed dormientem reperies. Si paſſus ad dormitorium dirigantur quid minùs, tùm rationi, tùm ſanitati conſonum? Præter anguſtiam loci nimis iniquam, cubile in zeteculâ reconditur, ſæpiſſimè quadruplici velo circumductum. Culcita aut ex lanâ aut plumis compoſita, ſtragulis calidis cooperitur; aer ex fœtidis, tùm putridis halitibus per totam noctem quàm longam coinquinatur. Si eodem in lecto decumbant maritus & uxor, majori vitio ſqualet aer ab unguentis & pinguibus olidis quibus delibuti divites veneri ſacra litare parant, longèque fugientem voluptatem mentiri conantur. Adde quod his in locis pſittaci, caniculi, ſimiæ haud gratum conſpergant odorem. Secretius muliebre cubiculum ſcrutaris? Pulveres odorati circumvolant undiquè, unguenta ex foliis pretioſiſſimis confecta nares accerbiſſimè feriunt. Hic ancilla modò in annullos flectit dominæ capillos, modò illius cutem lacte demulcet, & variis pigmentis illinit faciem. Belluli juvenes, odoribus & aquis medicatis obruti inſuper advolvant. Sedilia quibus utuntur magnates, nimium excitando calorem inferioribus in partibus, rarefactionem purpurei liquidi in venis hæmorroidalibus adaugendo, morbos illo nomine inſignitos utroque in ſexu adducunt. Tapetæ ex lanâ aut bombice confectæ, aerem inquinatum inter maculas retinent, ut quotidiana probat experientia. Feneſtræ quamvis amplæ ſed multis cancellis munitæ aeris aditum præcludunt. Vitra majorem luminis quantitatem affundunt, & indè per breve temporis ſpatium oculos reddunt imbecilliores. Cùm hæc ità ſint, nonne jàm meritò laudandos eſſe intelligis ambos illos philoſophos, quorum alter quoties prodibat in publicum, riſu, alter contrà fletu & lacrymis hominum dementiam & ineptias proſequebatur. Videtur tamen facilius mores hominum ridendo caſtigare, quàm flendo. Mirum apparet quo pacto tam uberes lacrymas in promptu ſemper habuerit heraclitus.

I I I.

TANTAM eſſe aeris in quo vivimus utilitatem atque neceſſitatem ad vitam conſervandam, ut ne per momentum eo carere poſſimus, nemo inficias ibit. Ab ejuſdem mutationibus corpora noſtra, quoad temperiem & conſtitutionem partium tùm ſolidarum, tùm fluidarum, inſigniter mutantur, & ad ſanitatem morboſque diſponuntur. Ubicumquè locorum nos ambit immediatè, cùm

alimentis & potulentis recipitur ; undè haud fieri poteſt quin ſuas dotes atque qualitates per omnes ſuccos diffundat , & pro ſuâ temperie , eoſdem, modò premat , modò rareſaciat , vel refrigeret ; humectet , vel exſiccet , aliiſque innumeris modis afficiat. Hoc naturæ votum , ut per varia anni tempora atque tempeſtates , humores noſtri , aut nimis fervidi , exagitati , nimiſque per æſtatem exhauſti , ad meliorem temperiem per autumnum redeuntes , per hiemem rursùs condenſarentur , virium & caloris animalis fieret reparatio , eoque ipſo, tono viſcerum corroborato, digeſtiones promoverentur ; adeòque veris tempus blando calore humores per hiemale frigus inſpiſſatos expandat ; ſecretiones inſtaurando poros univerſi corporis aperiat , ut liberiori & neceſſariæ tranſpirationi exitus concedatur. Ab illo tramite declinarunt oppidani dùm commorantur in omnibus illis ædificiorum partibus in quibus aer calorem æſtatis adæquans, nimis fervidus, partibus heterogeneis obrutus evadit. Aere ambiente plùs juſto calidiore & ſicco , humores , diù noctuque nimiùm agitantur , dilatantur corporis pori , nimiùm aperiuntur, & conſequenter humiditas non ſolùm neceſſaria abſumitur , ſed cùm ſimul partes ſpirituoſæ , balſamicæ exhalent, tonus partium valdè debilitatur , à quorum omnium tamen vigore , operationes naturales pendent. Multis effluviis undequaquè intervenientibus, aer inquinatus , noſtris humoribus anomalias excitat , undè mulieres partus inopinatos ſæpiſſimè patiuntur, aut infantes minùs benè valentes in lucem edunt ; aut ipſæ fluore albo , debilitate nervorum à pravis odoribus oriundâ cruciantur Quod ſi aliquandò cœlo liberiore fruantur , derepentè in eos irruit frigus , undè aut tranſpiratio minuitur,aut excluditur,& tunc rhumatiſmos, pleuritides, febres putridas , malignas ſæpiùs à ſpiſſitudine & humorum pravâ indole congenitas procreat. Si aliquo vitio aut feneſtrarum , aut januarum ſpiracula relaxentur, eadem ſuprà memorata generantur mala. Præthereà molle cubile ex pennis compoſitum , nimium calorem excitando , fluidorum auget circulationem, quâ quidem auctâ , motu velociori raptus ſanguis anxietates in ſomno producit.

I V.

QUAMVIS ultimis Reipublicæ Romanæ ſæculis , nullum frenum luxuriæ aut magnificentiæ leges impoſuerint , hoc tamen ut ſacrum in ædificiis conſtituendis habuerunt Romani , ut benigno aeris afflatu recrearentur, in interioribus , diriſſimiſque occurrerent morbis , pauca tantùm in ædificandis regiis domibus exempla Romanorum apud Gallos mos protulit. Hos pravos uſus excutiendos eſſe , haud diffitebitur nemo. Hunc tantùm aſſequentur finem , qui ſeligent domos , quas undequaquè pro neceſſitate perflare poſſit zephirus aut borealis , aut meridianus. Longè à paludibus humidam mephitim exhalantibus recedant. Omnes ædificii partes nimiis non premantur anguſtiis , jugiter & ſingulis diebus aditus externo aeri , nec non æquatæ auræ pateat. Tubuli ferrei in bracteas tenuati , aut hypocauſta male ſanum calorem capitique infenſiſſimum præbentia,zetæ & ſipparia dimoveantur : exulent unguenta; exulent odores nervis inimici quorum maximus uſus apud Magnates ; culcitæ componantur ex crinibus,*non laneis aut pennis;illa enim corpora certam quamdam olei& ſpiritûs volatilis quantitatem nec non ſalis fœtidiſſimi ſuppeditant , undè motum & calorem augent,ſolidis ſtimulos addunt,per cutis ſpiramenta humores plus æquo emittunt,undè virium imbecillitas,nervorumque mobilitas maxima.Dùm è contra, ſedanti,refrigeranti facultate gaudent crines,ad ſalubrem invitant quietem,ſomnum

Vide theſim , an ſalubrior in crines equinos quàm in lanam pennasvè decubitus? authore Celeb: M.Guindant 1771.

placidum conciliant, tandem perſpirationem & ſufficientem promovent diureſim. Sedilia ex arundine ſi conficiantur, aer exterior firmare valebit vaſa, dilatationi & humorum rarefactioni occurret; hinc ab hæmorroidibus tàm frequentibus ſolutus erit uterque ſexus, & fluore albo femineus. Animalia quorum corpora ſordidam exhalant ſpurcitiem à malè recoctis alimentis, à vinculis ſolvantur. Parietes tabulis veſtitos peripetaſmatibus ánteponendos haud recuſat quotidiana experientia. Aer liberum inveniens tranſitum, caſtigat muros ab humiditate, ſic diris obſtat plurimis morbis. Ædium feneſtræ ità diſponentur, ne major luminis quantitas affulgeat & aciem oculorum obtundat. Vento liberiori aditus recludatur, obices removendo; tunc aer contentus ab impuritatibus caſtigari poteſt: per diem moderatis indulgendo exercitiis, actio ſolidorum augetur, fluidorum diſtributio fit liberior, tranſpiratione mediâ avolant inutiles ſucci, cui reparationi occurrendum moderatis cibis & potibus.

V.

FUNDAMENTIS, ni fallor, inconcuſſis nititur noſtra aſſertio, cùm ratiocinio invicto fulciatur. Veſtigiis Medicorum melioris notæ inſiſtentes, hanc opinionem in lucem proferre auſi ſumus, ut veritas magis ac magis eluceſcat, & ut voluptatum illecebris & lenocinio cupiditatum capti, veritatis adumbratione prætegere non poſſint ampliùs pravam agendi rationem. Ab his certè non declinent magnates, ut ſilentes morbi præcaveantur & præſentes debellentur.

Ad conciliandam ſanitatem ſuaſimus quæ aerem diutiſſimè concatenatum coacervatumque, miaſmatibus malignis imbutum, tùm à pravis odoribus hinc & indè manantibus, tùm à nimio calore exhalantibus, expurgare atque defœcare poſſunt. Advocato auræ ſalubrioris auxilio, partes aeris conſpurcatæ in majus ſpatium ſparguntur, aut omninò avolant. Ad has expellendas manum auxiliatricem præbent, acetum, akalia volatilia, &c. *. His omnibus, aer venenatam deponit indolem, benigniorem induit & à ſtagnatione contrariâ vindicatur.

* Vide theſim, an aer corruptus expurgari poſſit? authore Celeb: M. Coquereau. 1769.

Hâc tamen in renovatione, cautelæ quædam ſervandæ ſunt, (nam modus eſt in rebus) frigidus aer maximâ quantitate non irrumpat, ſed ſenſim ſine ſenſu, bis aut ter advocandus ab unâ ædificii parte, ut inquinatus ab oppoſitâ debellari poſſit. Per hiemem moderatus accendatur focus ad leniendum frigus, relativè ad tempeſtates, regiones atque ætates.

Ergò hodierna methodus in diſponendis & exornandis variis ædificiorum partibus, ſanitati nocet.

Proponebat Pariſiis JOANNES-MATTHÆUS DE FRASNE, Sequanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos author, A. R. S. H. 1773, à ſextâ ad meridiem

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.